


Google


UC-NRLF



AVIANI FABULAE

CAROLUS LACHMANNUS

RECENSUIT ET EMENDAVIT

BEROLINI

TYPIS ET IMPENSIS GE. REIMERI

A. 1845.

AVIANUS THEODOSIO.

Dubitanti mihi, Theodosi optime, quonam litterarum titulo nostra nomina memoriae mandarem, fabularum textus occurrit, quod in his urbane concepta falsitas doceat et non incumbat necessitas severitatis. [nam quis tecum de oratione, quis de poemate loqueretur, cum in utroque litterarum genere et Atticos Graeca eruditione superes et Latinitate Romanos?] huius ergo materiae ducem nobis Aesopum noveris, qui responso Delphici Apollinis monitus ridicula orsus est, ut sequenda firmaret. verum has pro exemplo fabulas et Socrates divinis oraculis indidit et poemati suo Flaccus aptavit, quod in se sub iocorum communium specie vitae argumenta contineant: quas Graecis iambis Babrius repetens in duo volumina coartavit, Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resolvit. de his ego ad XLII in unum redactas

Versu 2 libri *nostri nominis memoriam.* tum *mandarem* unus omnium antiquissimus a prima manu, ceteri *mandaremus.* 3 *deceat* plerique, mox 4 *veritatis* omnes; item 9 *legenda,* 10 *divinis operibus.* 13 *grecivs iambis brabrius* et 14 *Phoedus* liber omnium antiquissimus. 15 *ergo* plerique.

[fabulas dedi, quas rudi Latinitate compositas] elegis sum explicare conatus. habes ergo opus quo animum oblectes, ingenium exerceas, sollicitudines leves totumque vivendi ordinem cautus agnoscas. [loqui vero arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia ridere fecimus, ut pro singulorum necessitatibus vel ab ipsis inanimis sententia proferatur.]

1 Rustica deleri puerum iuraverat olim,
ni taceat, rabido quod foret esca lupo.
credulus hanc vocem lupus audiit, et manet ipsas
pervigil ante fores, inrita vota gerens.
nam lassata puer nimiae dat membra quieti:
spem quoque raptoris sustulit inde fami.
hunc ubi silvarum repetentem lustra suarum
ieiunum coniux sensit adesse lupa,
'cur' inquit 'nullam referens de more rapinam
languida consumptis distrahis ora genis?'
'ne mireris' ait 'deceptum fraude maligna
vix miserum vacua delituisse gula:
nam quae praeda, rogas, quae spes contingere posset,
[iurgia nutricis cum mihi verba darent?'
haec sibi dicta putet seque hac sciat arte notari,]
femineam quisquis credidit esse fidem?'

22 omnes *animis*, quod Pithoeus correxit.

1 (Babrii 16), 1 pars librorum, in quis antiquissimi, *deflentem parvum*, ceteri *deflenti parvo*, 6 *raptori* et *famis* vel *fames*. 9 *referes* antiquissimus a prima manu, *refers* plurimi, *defers* vel *modo fers* recentiores. tum 10 *sed trahis* omnes. 12 *fuga* omnes.

2 Pinnatis avibus quondam testudo locuta,
siquis eam volucrem constituisset, ait,
protinus e rubris conchas auferret harenis,
quis pretium nitido cortice baca daret.
[indignans sibimet, tardo quod sedula gressu
nil ageret toto proficeretque die.]
ast ubi promissis aquilam fallacibus inplet,
experta est similem perfida lingua fidem,
et male mercatis dum quaerit sidera pinnis,
decidit infelix alitis ungue fero.
tum quoque sublimis, cum iam moreretur, in auris
ingemuit votis haec licuisse suis.
[nam dedit exosae post haec documenta quietis,
non sine supremo magna labore peti.
sic quicumque nova sublatus laude tumescit,
dat merito poenas, dum meliora cupit.]

3 Curva retro cedens dum fert vestigia cancer,
hispida saxosis terga relisit aquis.
hunc genetrix facili cupiens procedere gressu
talibus adloquiis praemonuisse datur.
'ne tibi transverso placeant haec devia, nate,
[rursus in obliquos neu velis ire pedes,

2 (Babrii 115), 1 *locuta est* omnes, item 2 *volucrem*[um] *constituisset*[des] *humi* antiquissimus, a quo ceteri non dissentiunt. 3 *rubri concas* et *harenas* a prima manu antiquissimus, *proferret* omnes. 10 *decidit* recentiores, *occidit* plerique. 11 *in auris* unus annorum quingentorum, *in aura* antiquissimus, *in auras* ceteri. 13 *quieti* non pauci.

3 (Babrii 109), 1 *dum* pauci, antiqui *cum*.

sed nisu contenta ferens vestigia recto]
innocuos proso tramite siste gradus.'
cui natus 'faciam, si me praecesseris,' inquit,
'rectaque monstrantem certior ipse sequar.'
[nam stultum nimis est, cum tu pravissima temptes,
alterius censor ut vitiosa notes.]

4 Inmitis boreas placidusque ad cetera Phoebus
iurgia cum magno conseruere ioco,
quis prior inceptum peragat. mediumque per arvum
carpebat solitum forte viator iter.
convenit hanc potius liti praefigere causam,
pallia nudato decutienda viro.
protinus inpulsam ventus circum tonat aethram,
et gelidus nimias depluit imber aquas:
ille magis duplicem lateri circum dat amictum,
turbida summotos qua trahit aura sinus.
sed tenues radios paulatim increscere Phoebus
iusserat, ut nimio spargeret igne iubar,
donec lassa volens requiescere membra viator
deposita fessus veste sederet humi.
tunc victor docuit praesentia numina Titan,
nullum praemissis vincere posse minis.

4 (Babrii 18), 1 *pladusque* duo antiquissimi, *ad sidera* omnes, item 2 *conseruere Iove*, et 3 *per orbem*. 7 *inpulsis venti* antiquissimus, ceteri *inpulsus ventis*, tum *aether* omnes. 12 *spargeret* Wopkensius, *surgeret* libri. 14 *Sed posita* antiquissimus; sed idem, ut testatur Schneidewinus, qui eius quartam fere partem excussit, *sederet*, non *resedit* vel *recedit*, quod habent non nulli.

5 [Metiri se quemque decet propriisque iuvari
laudibus, alterius nec bona ferre sibi,
ne detracta gravem faciant miracula risum,
coeperit in solis cum remanere malis.]
Exuvias asinus Gaetuli forte leonis
repperit et spoliis induit ora novis,
aptavitque suis incongrua tegmina membris,
et miserum tanto praessit honore caput.
[ast ubi terribilis animo circum stetit horror
pigraque praesumptus venit in ossa vigor,
mitibus ille feris communia pabula calcans
turbabat pavidas per sua rura boves.]
rusticus hunc magna postquam deprendit ab aure,
correptum baculis verberibusque dolat.
[et simul abstracto denudans corpora tergo
increpat his miserum vocibus ille pecus.]
'forsitan ignotos imitato murmure fallas:
at mihi, qui quondam, semper asellus eris.

6 Edita gurgitibus limoque inmersa profundo
et luteis tantum semper amica vadis
ad superos colles herbosaque prata recurrens
mulcebat miseras turgida rana feras,
callida quod posset gravibus succurrere morbis
et vitam ingenio continuare suo.
nec se Paeoni iactat cessisse magistro,

5 (Corais 258), 1 *defuncti* duo antiquissimi. 14 *vincelis* vel *vinclis* et mox *domat* omnes.

6 (Babrii 120), 1 *limoque* Neveletus, *olimque* libri. iidem 7 *Paeonio*.

quamvis perpetuos curet in orbe deos.
tunc vulpis pecudum ridens arguta quietem,
verborum vanam prodidit esse fidem:
'haec dabit aegrotis' inquit 'medicamina membris,
pallida caeruleus cui notat ora color?'

7 [Haud facile est pravis innatum mentibus ut se
muneribus dignas suppliciove putent.]
Forte canis quoidam, nullis latratibus horrens
nec patulis primum rictibus ora trahens,
mollia sed pavidae submittens verbera caudae,
concitus audaci vulnera dente dabat.
hunc dominus, nequem probitas simulata lateret,
iusserat in rabido gutture ferre notam:
faucibus innexis crepitantia subligat aera,
quae facili motu signa cavenda darent.
haec tamen ille sibi credebat praemia ferri,
et similem turbam despiciebat ovans.
tunc insultantem senior de plebe superbum
adgreditur, tali sibila voce movens.
['infelix, quae tanta rapit dementia sensum,
munera pro meritis si cupis ista dari?]
'non hoc virtutis decus ostentatur in aere,
nequitiae testem sed geris inde sonum.'

9 *astuta* hic omnes, pauci infra 40, 7. versu 10 *vanam* Cannegieterus, libri *vacuam*.

7 (Babrii 104), 3 *quondam* plerique, *quidam* aliquot recentiores. 8 *notam* Cannegieterus, *nolam* vulgo, *molam* duo antiquissimi. 14 *singula* omnes, et plerique *monens*.

8 [Contentum propriis sapientem vivere rebus,
nec cupere alterius, nostra fabella monet;
indignata cito ne stet fortuna recursu
atque eadem minuat quae dedit ante rota.]
Corporis inmensi fertur pecus isse per auras
et magnum precibus sollicitasse Iovem.
turpe nimis cunctis inridendumque videri:
insignes geminis cornibus ire boves,
et solum nulla munitum parte camelum
obiectum cunctis expositumque feris.
Iuppiter adridens, postquam sperata negavit,
insuper et magnae sustulit auris onus,
'vive minor merito, cui sors non sufficit,' inquit,
'et tua perpetuum, livide, damna geme.'

9 Montibus ignotis curvisque in vallibus artum
cum socio quidam suscipiebat iter,
securus, quod cum qua malum fortuna tulisset,
robore collato posset uterque pati.
dumque per incertum vario sermone feruntur,
in media praeceps convenit ursa via.
horum alter, facili conprendens robora nisu,
in viridi trepidum fronde pependit onus;
ille trahens nullo iacuit vestigia gressu,
exanimem fingens, sponte relisus humi.
continuo praedam cupiens fera saeva cucurrit,

8 (Corais 197).
9 (Babrii 140), 3 *quodcumque* libri, tum 5 *per inceptum*. hoc Cannegieterus correxit. 6 *in mediam* et *viam* libri, et 7 *cursu*.

et miserum curvis unguibus ante levat.
verum ubi concreto riguerunt membra timore
(nam solitus mentis liquerat ossa calor),
tunc olidum credens, quamvis ieiuna, cadaver
deserit et lustris conditur ursa suis.
sed cum securi paulatim in verba redissent,
liberior iusto, qui fuit ante fugax,
‘dic, sodes, quidnam trepido tibi rettulit ursa?
nam secreta diu multaque verba dedit.’
[‘magna quidem monuit, tamen haec quoque maxima iussit,
quae misero semper sunt facienda mihi:]
‘ne facile alterius repetas consortia, dixit,
rursus ab insana ne capiare fera.’

10 Calvus eques capiti solitus religare capillos
atque alias nudo vertice ferre comas
ad campum nitidis venit conspectus in armis
et facilem frenis flectere coepit equum.
huius ab adverso boreae spiramina perflant
ridiculum populo conspiciente caput:
nam mox deiecto nituit frons nuda galero,
discolor adposita quae fuit ante coma.
ille sagax, tantis quod risus milibus esset,
dispulit admota calliditate iocum,
‘quid mirum adpositos’ referens ‘fugisse capillos,
quem prius aequaevae deseruere comae?’

10 (Corais 283), 5 *praestant* multi etiam antiqui. 9 *cum* unus recentior. 10 *distulit* omnes. 11 *positos* libri, quod correxit N. Heinsius.

11 Eripiens geminas ripis cedentibus ollas
insanis pariter flumen agebat aquis.
sed diversa duas ars et natura creavit:
aere prior fusa est, altera ficta luto.
[dispar erat fragili et solidae concordia motus,
incertumque vagus amnis habebat iter.]
ne tamen elisam confringeret aerea testam,
iurabat sociam longius ire viam.
illa timens nequid levibus graviora nocerent,
et quia nulla brevi est cum meliore fides,
'quamvis securam verbis me feceris' inquit,
'non timor ex animo discutiendus erit:
nam me sive tibi seu te mihi conferat unda,
semper ero ambobus subruta sola modis.'

12 Rusticus inpresso molitus vomere terram
thesaurum sulcis prosiluisse videt.
mox indigna animo properante reliquit aratra,
gramina compellens ad meliora boves.
continuo supplex telluri construit aras,
quae sibi depositas sponte dedisset opes.
hunc fortuna novis gaudentem provida rebus
admonuit, dignam se quoque ture docens,
'nunc inventa meis non prodest urnula templis,
atque alios mavis participare deos:

11 (Corais 290), 8 *sociam* Cannegieterus, libri *solitam*. 12 *decutiendus* plerique. 14 *subdita sola malis* vel *meis* omnes.

12 (Corais 82), 4 *gramina* Cannegieterus, *semina* libri. 5 *telluris instruit* antiquissimi. 8 *admonet indignam* et *dolens* omnes. 9 libri *non prodis* vel *profers munera*.

sed cum subrepto fueris tristissimus auro,
me primam lacrimis sollicitabis inops.'

13 Inmensum taurus fugeret cum forte leonem
tutaque desertis quaereret antra viis,
speluncam reperit, quam tunc hirsutus habebat
Cinyphii ductor qui gregis esse solet.
huc ubi summissa meditantem inrumpere fronte
obvius obliquo terruit ore caper,
tristis obit longinqua fugax, de calle locutus
(nam timor expulsum iurgia ferre vetat)
'non te demissis saetosum, putide, barbis,
illum, qui superest insequiturque, tremo:
nam si discedat, nosces, stultissime, quantum
discrepet a tauri viribus hircus olens.'

14 Iuppiter in toto quondam quaesiverat orbe,
munera natorum quoi meliora daret.
certatim ad regem currit genus omne ferarum,
permixtumque homini cogitur inde pecus:
[sed nec squamigeri desunt ad iurgia pisces,
vel quidquid volucrum purior aura vehit.]
inter quos trepidae ducebant pignora matres,
iudicio tanti discutienda dei.
tunc brevis informem traheret cum simia natum,

13 (Babrii 91), 2 *iugis* paucissimi. 5 *hanc* alii, alii *post*, pauci *ast*. 7 *obit* unus antiquus, ceteri *abit*: sed omnes *longaque* et *de valle*. 8 malim *iubet*. 10 *insequiturque* unus, ceteri fere *consequiturque*.

14 (Babrii 56), 2 *qui* vel *quis* libri. 4 *cogitur ire* omnes, item

ipsum etiam in risum compulit inde Iovem.
haec tamen ante alios rupit turpissima vocem,
dum generis crimen sic abolere cupit.
'Iuppiter hoc norit, maneat victoria siquem:
iudicio superest omnibus iste meo.'

15 Threiciam volucrem fertur Iunonius ales
communi sociam non tolerasse cibo,
[namque inter varias fuerat discordia formas,
magnaque de facili iurgia lite trahunt,]
quod sibi multimodo fulgerent membra decore,
caeruleam facerent livida terga gruem:
et simul erectae circum dans tegmina caudae
sparserat arcatum sursus in astra iubar.
illa licet nullo pinnarum certet honore,
his tamen insultans vocibus usa datur.
'quamvis innumerus plumas variaverit ordo,
mersus humi semper florida terga geris:
ast ego deformi sublimis in aera pinna,
proxima sideribus numinibusque, feror.'

16 Montibus e summis radicitus eruta quaercus
decidit insani turbine victa noti;
quam tumidis subter decurrens alveus undis
suscipit et fluvio praecipitante rapit:

10 *compulit ire.* 12 *genetrix* multi. 13 *noscit* antiquissimi.
15 (Babrii 65), 2 *continuasse* vel *continuisse* libri, 8 *arcanum*. hoc Barthius correxit. eodem versu *sursum* unus, ceteri *rursus*. 13 *in aere* multi.

verum ubi diversis inpellitur ardua ripis,
in fragiles calamos grande residit onus.
tunc sic exiguo conectens caespite ramos
miratur liquidis quod stet harundo vadis:
se quoque tam vasto nec enim consistere trunco,
ast illam tenui cortice ferre minas.
stridula mox blando respondens canna susurro,
seque magis tutam debilitate docens,
‘tu rapidos’ inquit ‘ventos saevasque procellas
despicis, et totis viribus acta ruis:
ast ego surgentes paulatim demoror austros,
et quamvis levibus provida cedo notis.
in tua proruptus se effundit robora nimbus:
motibus aura meis ludificata perit.’
[haec nos dicta monent magnis obsistere frustra,
paulatimque truces exuperare minas.]

17 Venator iaculis haud inrita vulnera torquens
turbabat trepidas per sua lustra feras.
hunc pavidis audax cupiens succurrere tigris
vertere commotas iussit ad arma minas.
ille tamen solito contorquens tela lacerto
‘nunc tibi, qua lateam, nuntius iste refert,’

16 (Babrii 36), 6 *residit* unus antiquus, ceteri *resedit* vel *recedit*. 9 *necdum* libri, aliquot recentiores *nondum*. 12 *docet* libri omnes, sed 11 *respondens* antiquiores. 17 *praeruptus* tantum non omnes, tum *offendit* omisso *se* omnes.

17 (Babrii 1), 2 *rapidas* libri veteres, *pavidas* recentiores. 3 *tunc* plerique, non nulli *tum*. 4 libri *verbere*, tum *adesse* vel *abesse*. 6 *qualis eram* omnes.

et simul emissum transegit viscera ferrum,
restrinxitque citos hasta cruenta pedes.
molliter at fixum traheret cum saucia telum,
a trepida fertur vulpe retenta diu,
cuias ille foret, qui talia vulnera ferret,
aut ubinam iaculum delituisset agens.
illa gemens fractoque loqui vix murmure coeptans
(nam solitas voces ira dolorque rapit)
'nulla quidem medio convenit in aggere forma,
quaeque oculis olim sit repetenda meis:
sed cruor et validis in me directa lacertis
ostendunt aliquem tela fuisse virum.'

18 Quattuor inmensis quondam per prata iuvencis
fertur amicitiae tanta fuisse fides,
ut simul emissos nullus divelleret error,
rursus et e pastu turba rediret amans.
hos quoque collatis inter se cornibus ingens
dicitur in silvis pertimuisse leo.
[dum metus oblatam prohibet temptare rapinam,
et coniuratos horret adire boves:
et quamvis audax factisque inmanior esset,
tantorum solus viribus inpar erat.]
protinus adgreditur pravis insistere verbis,
collisum cupiens dissociare pecus.

7 *in ilia* unus, ceteri *vulnera* vel *viscera*. 8 *perstrinxitque* vel *praestrinxitque* libri. 9 *at fixum* pro *adfixum* Cannegieterus. 11 *dum* (vel *dic*) *quis ille foret* libri. 13 omnes *coepit*.

18 (Babrii 44), 4 *ovans* multi.

sic postquam dictis animos disiunxit acerbis,
invasit miserum diripuitque gregem.
[tum quidam ex illis 'vitam servare quietam
qui cupiet, nostra discere morte potest.']

19 Horrentes dumos abies pulcherrima risit,
cum facerent formae iurgia magna suae.
[indignum referens cunctis certamen haberi,
quos meritis nullus consociaret honos.]
'nam mihi deductum surgens in nubila corpus
verticis erectas tollit in astra comas,
puppibus et patulis media cum sede locamur,
in me suspensos explicat aura sinus:
at tibi deformem quod dant spineta figuram,
despectum cuncti praeteriere viri.'
ille refert 'nunc laeta quidem bona sola fateris,
et frueris nostris imperiosa malis:
sed cum pulchra minax succidet membra securis,
quam velles spinas tunc habuisse meas!'

20 Piscator solitus praedam suspendere saeta
exigui piscis vile trahebat onus.
sed postquam superas captum perduxit ad auras
atque avido fixum vulnus ab ore tulit,
'parce, precor,' lacrimis supplex ita dixit obortis:
'nam quanta ex nostro corpore dona feres?

13 *sic* antiquus unus, ceteri *sed*.
19 (Babrii 64), 4 *quod* multi. 12 *nostris frueris* omnes.
20 (Babrii 6), 6 *damna* libri.

nunc me saxosis genetrix fecunda sub antris
fudit et in propriis ludere iussit aquis.
tolle minas, tenerumque tuis sine crescere mensis:
haec tibi me rursum litoris ora dabit.'
[protinus inmensi depastus caerula ponti
pinguior ad calamum sponte recurro tuum.']
ille 'nefas' [captum referens absolvere piscem,
difficiles queritur casibus esse vices:
'nam miserum est'] inquit 'praesentem amittere praedam,
stultius et rursum vota futura sequi.'

21 Parvula progeniem terrae mandaverat ales,
qua stabat viridi caespite flava seges.
rusticus hanc fragili cupiens decerpere culmo
vicinam supplex forte petebat opem,
et vox inplumes turbabat credita nidos,
suaserat et laribus continuare fugam.
cautior hos revocans prohibet discedere mater:
'nam quid ab externis proficietur?' ait.
[ille iterum caris operam mandavit amicis:
at genetrix rursum tutior inde manet.]
sed postquam curvas dominum conprendere falces,
frugibus et veram sensit adesse manum,
'nunc' ait, 'o miseri, dilecta relinquite rura,
cum spem de propriis viribus ille petit.'

22 Iuppiter ambiguas hominum praediscere mentes
ad terras Phoebum misit ab arce poli,

21 (Babrii 88), 5 libri *sed vox* et *credula,* plerique *turbavit.* 7 *remeans* omnes. 8 *perficietur* alii.

cum duo diversis poscebant numina votis:
namque alter cupidus, lividus alter erat.
his sese medium Titan, scrutatus utrumque,
obtulit et 'precibus Iuppiter aecus' ait,
'praestandi facilis: nam quae speraverit unus,
protinus haec alter congeminata feret.'
sed cui longa iecur nequiit satiare cupido,
distulit admotas in nova dona preces,
spem sibi confidens alieno crescere voto,
seque ratus solum munera ferre duo.
ille ubi captantem socium sua praemia vidit,
supplicium proprii corporis optat ovans:
nam petit extincto se ut lumine denotet uno,
alter ut hoc duplicans vivat utroque carens.
tunc sortem sapiens humanam risit Apollo,
invidiaeque malum rettulit inde Iovi,
quae, dum proventis aliorum gaudet iniquis,
laetior infelix et sua damna cupit.

23 Venditor insignem arte ferens de marmore Bacchum
expositum pretio fecerat esse deum.
nobilis hunc quidam funesta in sede sepulchri
mercari cupiens conpositurus erat;
alter at ornatis ut ferret munera templis,

22, 3 libri *tunc duo*, mox multi *munera*, 4 omnes *invidus*, 6 *precibus ut peteretur ait*. 7 *praestabit* multi. 9 *nequiit* Cannegieterus, libri *nequeat*. 10 malim *admissas* vel *indultas*. tum libri *damna*. 15 libri *extinctus ut lumine degeret* vel *deneget uno*.

23 (Babrii 30), 1 *insignem referens* libri, 5 *adoratis*, et multi *numina*.

redderet et sacro debita vota loco.
‘nunc’ ait ‘ambiguo facies de mercibus omen,
[cum spes in pretium munera dispar agit,
et me defunctis seu malis tradere divis,]
sive decus busti seu deus esse velis.’
‘subdita nempe tibi est magni reverentia Bacchi,
atque eadem retines funera nostra manu.’
[convenit hoc illis, quibus est permissa potestas,
an praestare magis seu nocuisse velint.]

24 Certamen longa protractum lite gerebant
virtutis quidam nobilis atque leo.
hi cum perpetuum cuperent in iurgia finem,
edita continuo forte sepulchra vident.
illic docta manus flectentem colla leonem
fecerat in gremio procubuisse viri.
hic calet adfirmans sculptura teste supernum
se fieri: extinctam nam docet esse feram.
ille graves oculos ad inania signa retorquens
infremit et rabido pectore verba dedit.
[‘inrita te generis subiit fiducia vestri,
artificis testem si cupis esse manum.]
‘quod si nostra novum caperet sollertia sensum,
sculperet ut docili pollice saxa leo,

7 *ambiguum* omnes, et 10 *seu velis esse deum.* 11 *namque tibi* plerique, *nequitiae* unus antiquus. *Bacchi* Cannegieterus, *fati* vel *facti* libri.

24 (Corais 219, Dosithei 15), 2 *venator* omnes, tum *quondam* plerique. 4 fortasse *monte.* 7 libri *scilicet adfirmans pictura* (*sculptura* Cannegieterus) *teste superbum,*

tunc hominem aspiceres expressum marmore magno,
conderet ut rapidis ultima fata genis.'

25 Flens puer extremam putei consedit ad oram,
vana super patulis rictibus ora trahens.
hunc calidus lacrimis postquam vir vidit obortis,
quaenam tristitiae sit modo causa, rogat.
ille sibi abrupti fingens discrimina funis
atque auri queritur desiluisse cadum.
nec mora sollicito: traxit manus inpigra vestem:
exutus putei protinus ima petit.
parvulus, exiguo circum dans pallia collo,
sentibus inmersus delituisse datur.
sed post fallacis suscepta pericula voti
tristis ut amissa veste resedit humi,
dicitur his sollers vocem rupisse querellis
et gemitu summos sollicitasse deos.
'perdita, quisquis erit, post haec bona pallia credat,
qui petat in liquidis quae natet urna vadis.'

26 Viderat excelsa pascentem rupe capellam,
comminus esuriens cum leo ferret iter,
et prior 'heus' inquit 'praeruptis ardua saxis
linque, nec hirsutis pascua quaere iugis,
sed cytisi croceum per prata virentia florem
et glaucas salices et thyma grata pete.'

15 *oppressum murmure magno.*

25, 2 libri *supervacuis*, 3 *callidus hunc lacrimis postquam fur*, 7 *sollicitam* et *inproba*. 12 *tristis ut* Cannegieterus, libri *tristior*. 15 *bene* libri. 16 omnes *putat* vel *putet*, et *quod*.

illa gemens 'desiste, precor, fallaciter' inquit
'securam placidis instimulare dolis:
[vera licet moneas, maiora pericula tollas.
tu tamen his dictis non facis esse fidem.]
nam quamvis rectis constet sententia verbis,
suspecta haec rabidus consiliator habes.'

27 Ingentem sitiens cornix aspexerat urnam,
quae minimam fundo continuisset aquam.
hanc enisa diu planis effundere campis,
scilicet ut nimiam pelleret inde sitim,
postquam nulla viam virtus dedit, admovet omnes
indignata nova calliditate dolos:
nam brevis inmersis adcrescens sponte lapillis
potandi facilem praebuit unda viam.
[viribus haec docuit quam sit prudentia maior,
quae coeptum volucris explicuisset opus.]

28 Vincla recusanti dedignantique iuvenco
aspera mordaci subdere colla iugo
rusticus obliqua succidens cornua falce
credidit insanum defremuisse pecus,
cautus et inmenso cervicem innectit aratro
(non erat hic cornu promptior atque pede),
scilicet ut longus prohiberet verbera temo,
neve ictus faciles ungula saeva daret.

26 (Corais 230), 8 *instimulare* pauci, plerique *insimulare*. 12 *suspectam hanc* omnes, tum plerique *gravidus* et *habet*.
27 (Dositliei 8).
28, 6 *non* liber recentior, *namque* plerique.

sed postquam invito detractans vincula collo
inmeritam vana calce fatigat humum,
continuo eversam pedibus dispergit harenam,
quam in domini aura ferens ora sequentis agat.
tunc hic informi squalentes pulvere crines
discutiens imo pectore victus ait
'ni mirum exemplum naturae deerat iniquae,
qua fieri posses cum ratione nocens.'

29 Horrida congestis cum staret bruma pruinis
vinctaque durato stringeret arva gelu,
haesit in adversa nimborum mole viator:
perdita nam prohibet semita ferre gradum.
hunc nemorum custos fertur miseratus in antro
exceptum satyrus continuisse suo.
quem simul adsidens ruris miratur alumnus,
vimque homini tantam pectoris esse pavet:
nam gelidos artus vitae ut revocaret in usum,
adflatas calido foverat ore manus.
sed cum depulso coepisset frigore laetus
hospitis eximia sedulitate frui,
iamque ille, agrestem cupiens ostendere vitam,
silvarum referens optima quaeque daret,
obtulit et calido plenum cratera Lyaeo,
laxet ut infusus frigida membra tepor.

9 *irato* omnes. 10 *vacua* vel *vacuo* libri. 12 *quam ferus in domini ora* omnes. *agit* alii. 13 *tunc sic* vel *tum sic* libri.

29 (Corais 126), 3 *membrorum* plerique. 5 *cultor* Cannegieterus. 7 *aspiciens* libri, 8 *protinus*, 10 *solverat*. 13 *namque* omnes, tunc *illi* plerique. 14 *dabit* unus antiquus, ceteri *dabat*.

ille ubi ferventem labris contingere testam
horruit, alanti rursus ab ore gelat.
obstipuit duplici monstro perterritus hospes,
et pulsum silvis longius ire iubet:
'nolo' ait 'ut nostris umquam successerit antris
tam diversa duo qui simul ore gerat.'

30 Vastantem segetes et pinguia culta ruentem
liquerat abscisa rusticus aure suem,
ut memor accepti referens monumenta doloris
ulterius teneris parceret ille satis.
rursus in exculpti deprensus crimine campi
perdidit indultae perfidus auris onus.
nec mora, praedator segeti caput intulit horrens:
poena sed insignem congeminata facit.
hunc domini captum mensis dedit ille superbis,
in varias epulas plurima frusta secans.
sed cum consumpti dominus cor quaereret apri,
inpatiens fertur quod rapuisse coquus,
rusticus hoc iustam verbo compescuit iram,
adfirmans stultum non habuisse suem:
'nam cur membrorum demens in damna redisset
atque uno totiens posset ab hoste capi?'
[haec illos descripta monent, qui saepius ausi
numquam peccatis abstinuere manus.]

18 libri *algenti rursus ab ore suflat*. 22 *ore ferat*, sed in epimythio quod multi addunt *bina quod ora gerat*.
30, 5 *excepti* libri, 7 *praedictae*, 8 *indignum*, 9 *tunc* vel *tum*.

31 Ingentem fertur mus quondam parvus oberrans
ausus ab exiguo laedere dente bovem:
verum ubi mordaci confecit vulnera rostro,
tutus in anfractus conditur inde suos.
ille licet vasta torvum cervice minetur,
non tamen iratus quem petat esse videt:
hic indignantem iusto sermone fatigans
dispulit hostiles calliditate minas,
'non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
viribus effectum contribuere tuis.'
[disce tamen brevibus quae sit fiducia monstris,
et faciat quidquid parvula turba cupit.]

32 Haerentem luteo sub gurgite rusticus axem
liquerat et nexos ad iuga tarda boves.
[frustra dispositis confidens numina votis
ferre suis rebus, cum resideret, opem.]
cui rector summis Tirynthius infit ab astris
(nam vocat hunc supplex in sua vota deum)
'perge laborantes stimulis agitare iuvencos,
et manibus pigras disce iuvare rotas.
te quoque congressum maioraque viribus ausum
fas superos animis conciliare tuis.
disce tamen pigris non flecti numina votis,
praesentesque adhibe, cum facis ipse, deos.'

31 (Babrii 112), 7 *hic* Cannegieterus, *tunc* libri, 8 *distulit*, 10 *constituere*.

32 (Babrii 20), 9 *Tunc* omnes, praeter unum recentiorem, qui habet *tu* et cum aliis non antiquissimis *congressus* et *ausus*.

33 Anser erat cuidam pretioso germine feta,
ovaque quae nidis aurea saepe daret.
[fixerat hanc volucri legem natura superbae,
ne liceat pariter munera ferre duo.
sed dominus, cupidum sperans vanescere votum,
non tulit exosas in sua lucra moras.]
grande ratus pretium volucris de morte referre
qui tam continuo munere dives erat,
postquam nuda minax egit per viscera ferrum
et vacuam solitis fetibus esse videt,
ingemuit tantae deceptus crimine fraudis:
nam poenam meritis rettulit inde suis.
[sic qui cuncta deos uno male tempore poscunt,
iustius his etiam vota diurna negant.]

34 [Quisquis torpentem passus transire iuventam
nec timuit vitae providus ante mala,
confectus senio, postquam gravis adfuit aetas,
heu frustra alterius saepe rogabit opem.]
Solibus erepens hiemi formica labores
detulit et brevibus condidit ante cavis:
verum ubi candentes suscepit terra pruinas,
[arvaque sub rigido delituere gelu,
pigra nimis tantos non aequans corpore nimbos]
in laribus propriis umida grana legit.
decolor hanc precibus supplex alimenta rogabat,
quae quondam querulo ruperat arva sono:

33 (Babrii 123).

34 (Babrii 137), 5 *ereptos* libri, 6 *distulit*, 10 *in propriis laribus*,

se quoque, maturas cum tunderet area messes,
cantibus aestivos explicuisse dies.
parvula tunc ridens sic est adfata cicadam.
'num vitam pariter continuare pudet?
mi quoniam summo substantia parta labore est,
frigoribus mediis otia longa traho:
at tibi saltandi nunc ultima tempora restant,
cantibus est quoniam vita peracta prior.'

35 Fama est ut geminum una profundens simia partum
dividat in varias pignora nata vices:
[namque unum caro genetrix educit amore,
alterius odiis exsaturata tumet.
coeperit ut fetam gravior terrere tumultus,
dissimili natos condicione rapit:]
dilectum manibus vel pectore gestat amico,
contemptum dorso suscipiente levat.
sed cum lassatis nequiit consistere plantis,
appositum fugiens sponte remittit onus:
alter at hirsuto circum dans bracchia collo
haeret et invita cum genetrice fugit.
[mox quoque dilecti succedit in oscula fratris,
servatus vetulis unicus heris avis.
sic multos neglecta iuvant atque ordine verso
spes humiles rursus in meliora refert.]

16 *nam* et *solent.*

35 (Babrii 35), 1 libri *Fama est quod geminum profundens.* 3 *eduxit* multi. 4 *alteriusque* pauci. 9 *nequiit* Batavus editor, *nequeat* libri. 10 *appositum* N. Heinsius, *oppositum* libri. 14 *heres* vulgo.

36 Pulcher et intacta vitulus cervice refulgens
    scindentem adsidue viderat arva bovem.
'non pudet heus' inquit 'longaevo vincula collo
    ferre nec inpositis otia nosse iugis?
cum mihi subiectas pateat decursus in herbas
    et nemorum liceat sursus opaca sequi.'
at senior, nullam verbis conpulsus in iram,
    vertebat solitam vomere rursus humum,
donec seposito per prata liceret aratro
    molliter herboso procubuisse toro.
mox vitulum sertis innexum respicit aris
    admotum cultro comminus ire popae.
'hanc tibi tristis' ait 'dedit indulgentia mortem,
    expertem nostri quae facit esse iugi.'
[proderit ergo graves quamvis tolerare labores,
    otia quam tenerum mox peritura pati.'
est hominum sors ista, magis felicibus ut sit
    mors cita, cum miseros vita diurna regat.]

37 Pinguior exhausto canis occurrisse leoni
    fertur et insertis verba dedisse iocis.
'nonne vides duplici tendantur ut ilia tergo
    luxurietque toris nobile pectus?' ait.
'proximus humanis duco pasta otia mensis,
    communem capiens largius ore cibum.'

36 (Babrii 37), 1 *resultans* libri. 4 *nec expositis* plerique, nisi quod *nunc positis* unus antiquus. 5 *discursus* plerique, et 6 *rursus* omnes. 8 *fessus* omnes, item 9 *deposito*. 11 *sertis* Cannegieterus, *sacris* libri. 12 *popae* N. Heinsius, libri *prope*.

37 (Babrii 99), 5 *ducor post otia* libri.

'sed quid rasa, malum, circum dat guttura ferrum?'
'ne custodita fas sit abire domo.'
[at tu magna diu moribundus lustra pererras,
donec se silvis obvia praeda ferat.
perge igitur nostris tua subdere colla catenis,
dum liceat faciles promeruisse dapes.'
protinus ille gravem gemitu collectus in iram
atque ferox animi nobile murmur agit,]
'vade' ait 'et meritis nodum nodum cervicibus infer,
conpensentque tuam vincula dura famem.
[at mea cum vacuis libertas redditur antris,
quamvis ieiunus, quae libet arva peto.]
has illis epulas potius laudare memento,
qui libertatem postposuere gulae.'

38 Dulcibus e stagnis fluvio torrente coactus
aequoreas praeceps piscis obibat aquas.
illic squamigerum despectans inprobus agmen
eximium sese nobilitate refert.
non tulit explosam patrio se gurgite phycis,
verbaque cum salsis asperiora dedit.
'vana laboratis aufer mendacia dictis,
quaeque refutari te quoque teste queant.
nam quis sit potior, populo spectante probabo,
si pariter captos umida lina trahant.

7 *quid* Cannegieterus, *quod* vel *quia* libri. tum omnes *crassa*.
38, 5 pars librorum *expulsum patrio sub*, ceteri *exemplum patrio de*. *phycis* Cannegieterus, *phoca* libri. 6 iidem *cum salibus*, 9 *quis erit*.

tunc me nobilior magno mercabitur emptor,
te simul aere brevi debile vulgus emet.'

39 Voverat attritus quondam per proelia miles
omnia suppositis ignibus arma dare,
vel quae victori moriens sibi turba dedisset,
vel quidquid profugo posset ab hoste rapi.
interea votis fors adfuit, et memor arma
coeperat accenso singula ferre rogo.
tunc lituus rauco deflectens murmure culpam
inmeritum flammis se docet ipse peti.
'nulla tuos' inquit 'petierunt tela lacertos,
viribus adfirmes quae tamen acta meis:
sed tantum vanis ego cantibus arma coegi,
hoc quoque submisso (testor at astra) sono.'
ille resultantem flammis crepitantibus addens
'hoc te maior' ait 'poena doloque manet:
nam licet ipse nihil possis temptare nec ausis,
saevior hoc, alios quod facis esse malos.'

40 Distinctus maculis et pulchro pectore pardus
inter consimiles abnuit ire feras:
sed quia nulla graves variarent terga leones,
protinus his miserum credidit esse genus.

39, 4 *rapi* Cannegieterus, *capi* libri. 6 *fors* Wopkensius, *sors* libri. 8 libri *se docet esse prius*, 11 *ventis et cantibus*. 12 *ad* non nulli, plerique *et*. 14 *nunc te* vel *nec te* libri, et in fine *rapit*. 15 omnes *ausus*, *ausis* Wopkensius. 16 alii *ipse*.

40 (Babrii 101 et 133), 2 *ibat mira* antiquus, *ibat in arva* plerique, *respuit ire* unus recens.

cetera sordenti temnens animalia cultu
solus in exemplum nobilitatis erat.
hunc arguta novo gaudentem vulpis amictu
corripit et vanas adprobat esse notas:
'vade' ait 'et pictae nimium confide figurae,
dum mihi consilium pulchrius esse queat.'
[miremurque magis quos munera mentis adornant,
quam qui corporeis enituere bonis.]

41 Inpulsus ventis et pressa nube coactus
ruperat hibernis se gravis imber aquis,
cumque per effossas stagnaret turbine terras,
expositum campis fictile pressit opus:
mobile namque lutum tepidus prius instruit aer,
discat ut admoto rectius igne coqui.
tunc nimbus fragilis perquirit nomina testae.
inmemor illa sui 'amphora dicor' ait:
'nunc me docta manus rapiente volumina gyro
molliter obliquum iussit habere latus.'
'hactenus hac' inquit 'liceat constare figura:
nam te subiectam diluet imber aquis.'
et simul accepto violentius amne fatiscens
pronior in tenues victa cucurrit aquas.
[infelix, quae tanta sibi cognomina sumens
ausa pharetratis nubibus ista loqui.

5 *damnans* et *vultu* libri. 9 *figurae* unus recentior, ceteri *iuventae*.
41 (Corais 341. *ποταμὸς δι' αὐτοῦ βύρσαν φερομένην ἰδὼν ἠρώτησε τίς καλεῖται· ἡ δὲ εἶπε "ξηρά* (legendum *πήρα* cum Bekkero)." *ἐπικαχλάσας δὲ τῷ ῥεύματι εἶπεν "ἄλλο τι ζήτει καλεῖσθαι· ἁπαλὴν γὰρ ἐγὼ ἤδη ταχὺ ποιήσω σε."*) versu 3 libri *effusas*.

haec poterunt post haec miseros exempla monere,
  subdita nobilibus ut sua fata gemant.]

42 Forte lupum melior cursu deluserat aedus,
  proxima vicinis dum petit arva casis.
inde fugam recto tendens in moenia cursu
  inter lanigeros constitit ille greges.
inpiger hunc raptor mediamque secutus in urbem
  temptat conpositis sollicitare dolis:
'nonne vides' inquit, 'cunctis ut victima templis
  inmiti interiens morte cruentat humum?
quod nisi securo valeas te reddere campo,
  ei mihi, vittata tu quoque fronte cades.'
ille refert 'mihi quod metuis, precor, exue curam,
  et tecum viles, inprobe, tolle minas:
nam sat erit sacrum divis fudisse cruorem.
  [quam rabido fauces exsaturare lupo.'
sic quotiens duplici subeuntur tristia casu,]
  expedit insignem promeruisse necem.'

42 (Corais 228), 8 *inmitem ire gemens* vel *inmitem regimens* libri. 11 libri *modo quam metuis.* tum multi *exime.*

DIE XVIII APRILIS A. MDCCCXXXXV.


146069
PA6225
A2
1845

